

Q. B. P.

SPECIMEN ACADEMICUM,

De

# SIMULACRIS IMPERIORUM,

Quod

*aduentibus ad AURAM academiae Philosophis,*

Sub AUSPICIIIS

*VIRI Clar.*

MAG. ALGOTHI A.  
SCARIN,

Hist. &amp; Phil. Civ. Prof. reg. &amp; ord.

*publicae disquisitioni, qua par est, modestia, subijcies*

Regius ALUMNUS

ERICUS E. EDNER

*Aboënsis,*

In auditorio max. horis, diei 10. Julii, solitis

A. MDCCXLII.

---

 ABOË, exc. Reg. Acad. Typ. Joh. Kiæmpe.

Sic Regis Majestatis  
Maximæ Fidei VIRO,  
Perillustri atque generosissimo  
DOMINO,

Dominus BERNHARDO  
CEDERHOLM,  
Regii, regnique dicasterii GOTHORUM, PRÆ-  
SIDI excellentissimo,

MÆCENATI SUMMO.

**A**D Mæcenatem admitti gestio, qui nullis non  
summa virtutis ornamentis fulget, artibus-  
que, que virtutis comites & administra sunt,  
supra quam dici potest, excellit. Deberet, fa-  
teor, tantorum nominum recordatio reprimere a-  
nimo vacordiam adspirandi ad limina celsa TUA,  
VIR illustris; imprimis postquam jam ante formi-  
dare coepi, ne ocii literarii festinate primitiæ hæ,  
cum intempestivas videres, hoc est tales, que  
magnitudinem TUAM non deceant, pro gratia,  
cui conciliari cupiunt, repulsam & proscriptionem  
mere



mereantur. Sed qui plebeja religioni sufficere vi-  
 di lactis & mole salsa pietatem; quin, regi  
 maximo, cum alia non suppeterent, lympham ne-  
 que displicuisse cavis manibus allatam: de TUA  
 Summe VIR, magnitudine animi, quod non  
 tam sortem, quam pietatis professionem spectabis,  
 tanto magis certus sum, quanto cum patrio lare  
 parentes jam ante extorres essent, tectum TU ipse  
 concessisti, vitæque sustinenda omnia prope suppe-  
 ditasti. Igitur cum TUO beneficio servatus sum,  
 cui quæso fructum & effectum magis debeo, quam  
 vitæ servatæ meæ Domino TIBI, sospitatorique  
 ejus quamvis aris non thura & paria dona  
 inferre queam, tenue sertum hoc ipsum tamen,  
 quod ad fores TUAS suspendo, rejicula pietatis loco  
 nullo modo habiturum spero. Quidquid sit, devo-  
 tionis subjecta lege, quod hæcenus feci, illud in-  
 posterum nunquam non audebo: videlicet pro  
 tanti benefactoris incolumitate, vota nuncupare,  
 ut diutissime sospes & incolumis agas, & una  
 TEcum, patriam, gentemq; TUAM, uti cœpisti,  
 titulis aliis super aliis augere pergas.

## GENEROSISSIMI NOMINIS TUI

ERICUS E. EDNER

Cliens devotissimus  
 ERICUS E. EDNER.

*VIRO nobilissimo atque consultissimo,*  
Dn. ANDRÆ HAGERT,  
JUDICI territorii Kymmenegardensis gravissimo,  
prudentiæ laude & æquitatis cultu celebratissimo.

*Spectatissimo atque prudentissimo VIRO,*  
DN. ESAIÆ WECHTER,  
Curie Aboënsis SENATORI æquissimo, itidem avun-  
culi loco prosequendo.

*VIRO spectatissimo atque prudentissimo,*  
Dn. JACOBO FORSELL,  
MERCATORI inter Friedrichshamnensis honestissimo  
ac laudatissimo, Patrono & Nutritio ut propensissimo,  
ita omni animi veneratione ætatem prosequendo.

*Spectabili atque prudentissimo VIRO*  
Dn. GABRIELI NIGRÆO,  
CIVI & MERCATORI Friedrichshamnensi laudatissimo,  
Fautori multis nominibus honorando.

**O** B Beneficia, Plurima. Ac, Eximia. Hasce. Qualescunque,  
Omnis. Fausti. Adpreccatione. Ea. Qua. Par. Est. Reue.

TANTORUM NOMI.

Cultor obser-  
ERICUS E.



*VIRO nobilissimo consultissimoque*  
Dn. ERICO JOHANNI TOLPO,  
CONSULI primario, & per urbem hanc justitiæ AD-  
MINISTRO æquissimo, avunculi loco colendo.

*Speçtatissimo & prudentissimo VIRO*  
Dn. HANSO C. SUTTHOFT,  
Curie Friedrichshamnensis SENATORI integerrimo,  
Fautori exoptatissimo.

*Speçtabili ac prudentissimo VIRO,*  
Dn. JOHANNI GOVENIO,  
CIVI & MERCATORI Friedrichshamnensi laudatissimo;  
Fautori & benefactori, quibusvis animi officiis co-  
lendo.

*Speçtabili atque prudentissimo VIRO,*  
Dn. HENRICO WILLSTRÖM,  
CIVI & MERCATORI Friedrichshamnensi laudatissimo;  
Fautori jugiter compellando.

*Ingenii. Sui primitias. In. Gratissimi Animi. Signum. Cum-  
rentia. Observantiaeqve. Cultu. Dat. Dicit. Dedicat.*

NUM VESTRORUM

*antissimus*  
EDNER.

*Parent longè charissime*

Dn. ERICE O. EDNER,

Curiae Aboënsis SENATOR primarie, filiali pietate  
æternum devenerande,

Quantum ego TIBI, charissime PATER, pro immortalibus beneficiis debeam, idq; à puero, me melius nemo novit. Sed cum cogito, quam munus levidense sit illud, quod in vicem redhostimenti Tibi pro curam ei, mee sustentationis & educationis beneficio, vicissim rependo, pudore suffundor; incertus animi, utrum Tui sub auspicio Nominis idem publicae luci committere ausim. Interim cum in condonandis ceteris ætatis mee delictis, Te penes, indulgentiam plus quam paternam invenerim, si quid hac parte erratum, qui quæso dubitare possum, quin illius quoque gratiam mihi benignissime facias. Ego vero DEUM animitus precor, velit ILLE lassæ & arumnosæ senectuti Tux vigorem viriditatemque largiri, & denique successus ultra vota mea prosperos!

Indulgentissimi Patris

*filius obedientissimus*  
ERICUS E. EDNER.



I. N. 7.

PROOEMIUM.

**E** usque penetrasse vulgi errorem nemini non compertum est, ut in corticibus nominum hærere, quam quod in nuce solidum occultatur, scrutari peruestigareque velit. Quæ videntur, magis quam quæ sunt, hominum considerat multitudo. Veritatem profundius intueri de dignatur; quæque extrinsecus apparent, ea perinde, ac si interiori recessu abdita medulla ipsa rei non aliter comparata esset, temeraria fiducia arripit & amplectitur. Qui verò quanto intervallo distent æra lupinis, non ad lancem & rationem accurate revocat, eum perinde decipi, ac si Philosophum quis ex pallio aestimaverit, qui altiore genio rem agita verint, omnes vident. In consuetudine privata hominum fingunt & falso profitentur multi esse se illos, quales re vera non sunt: *introrsum turpes, foris pelle speciosa decori.* In civitate aliud spe atque animo complecti, & aliud obtentui dare, adeo quidem apud populum in omni cœtu concioneque va-  
let

let. ut sine arcano administrandæ reipublicæ isto, tranquillitatem servari nullam, discordiæque semina nequiquam præcaveri posse, credant & prope consentiant universi. Sic cum *regis* vel principis sacrum & venerabile nomen ex plebe quis acceperit, summam mox majestatem & omnia, quæ principatum absolvunt, summa rerum momenta sub eodem nomine quoque comprehendendi, statim subsumit, cum tamen in altitudinem, ad speciem & simulationem nullibi magis, quam in civitate sensus reconditi esse soleant: & qui libertatis umbrâ majore regi volunt *cives*, invidiæ declinandæ causa, ubi novam formam in imperio introducere volunt, veteris status assimilationes omnes, religionis, auspicii & boni ominis causa, non raró retinere soleant, summo rerum judicio una cum vi ipsa imperii, civitati sibi-que asserto & penitus vindicato. Sed non in republica & principatu solum ista ex arte adumbrata scena & disciplina obtinet. In societatibus, quæ ad republicam pertinent, puta minoribus illis, titulo & nomine speciosa non minus multa occurrunt, quæ civium oculis se opportuna quadam ostentatione sistunt; non alio fine, quam ut res, quarum sunt signa, ab illis, quorum interest, magnificent, & ab iisdem benignam quadam æstimationem inveniant. De ejusmodi falsis rerum nominibus & adoptatis sæpe in inanem formam potentiæ imitamentis, agere impræsentiarum constitutum mihi. Quod dum facio, *Temet b: Lector*, enixe rogatum volo, tentamen juvenile nostrum, etiamsi exilis *Minerva* ad unguem omnia



omnia non assequi, neque complecti possit, quæ spectant ad ambitum latè patentis argumenti hujus, in meliorem partem Tu tamen accipere & interpretari digneris; tanto magis, quanto neque ipsius JOVIS, si ve pluat, si ve serenus sit, omnibus grata atque accepta esse soleat opera.

§. I.

Sine ulteriori ambage ad thema ipsum, ejusque evolutionum nosmet conferimus, indigitando penes quos *simulacrum* imperii reperiatur, & quæ nobis simulacrorum nomine veniant. Sunt autem *simulacra imperiorum* nomina sine potestate, quæ magnam quidem præ se ferunt speciem parum tamen potestatis re vera in se continent. Horum vero referimus primo *Reges personatos*, pseudo-monarchas seu scenicos reges, qui fraude vel artibus quibuscunque orbem deludere conati sunt, seqve pro justis regni successoribus improba temeritate venditare non dubitarunt; contra quam nihil tam firmum est atque sanctum, quod non armata eadem expugnare; nihil tam sincero constitutum animo, quod non os impudens impetere ac eludere aggrediatur. Ita sub specie & titulo legitimæ successionis plurimi adulterini & supposititii principes latere, sibi que imperium vindicare nil pensi habuerunt. Sed sicut non facile quis *interregnum* dixerit, ubi status atque regni ministrorum quis majores spiritus sumit, quam quos deinde coercere possint aut velint rerum domini: ita neque regem justo titulo agniti constitutumque quis judicaverit omnem, qui commento quocunque illudens

populo.

populo; regium culmen sine auspicio ascendere ausus fuerit. Exempla probandæ rei & veritatis illius, quamvis plurima sint, eademque in nullis non gentium annalibus passim obvia: duo tamen, ceu clariora in medium adferre non pigebit. Tempore *AUGUSTI* in *Judea* quidam personatus *ALEXANDER* se in familiam *HERODIS* adoptari voluit, quia corpore & statura erat similis *ALEXANDRI*, cui vitam ademerat. Hic vero *HERODES* redivivus, ut ad fraudem erat acutus, ita & omnes fere *Judeos* in suas seduxit partes. Regio utebatur apparatu, multas regiones & urbes peragrabat. tandem & *Romani* accessit & sane *Cæsar AUGUSTUS* dubius hæsit, donec a *CELADO* liberto suo, quoniam hic esset, cognosceret, & *Pseudo ALEXANDRUM* hunc iusta afficeret pœna. Circa initium imperii *GALBÆ*, *pseudo NERO* *Asiam* & *Arabiam* exterruit. Is *NERONE* se fingens, magnum exercitum ex vagis desertoribus & novarum rerum cupidis circa *Cythenum* insulam contraxit, ubi fraude *triarchorum* circumventus, meritis luit pœnas sceleris sui (a) Quas in *Moschovia*, *Portugallia*, *Svetbia*, *Italia*, aliisque *Europa* regnis, proximis hisce seculis turbas & tragedias fecerint larvati principes, quæ summam omnia perstringere constitui, sciens prudensque prætereo. Id dico saltem dum aleam suam exercent, regna & ducatus ludunt, simias purpuratas hæc nihil nisi simulacra regum esse & ad tempus coli observarique; pietate non alia, quam quæ vocalia deorum simulachra olim plebi admiratio-

(a) cfr. *Hedmanni* *diff. de regibus personatis.*



ni fuerunt, & donec perluceret fraus, votis, victimis & donariis prodigiose honorari solebant.

§. II.

**N**ec aliud quam *simulacrum* imperii remanere penes *Principes*, qui *imperio se abdicavere*, censendum est. Conditio illorum, ubi regno summisque fortunæ obsequiis ipsi renunciavere, non est publica amplius, sed privata. Neque a privato lare multum illius vita principis distat, qui summum imperii fastigium ipse deseruit; licet cum ceteris, alieno imperii arbitrio subditis atque subjectis æquiparari non illico possit. Servat dignitatem cum naturali libertate conjunctam, communē in quavis civitate humanitatem capeffit, estque liber ab omni imperio, quamdiu servat naturæ & gentium leges, & nullum reipublicæ periculum molitur. Interim quamvis libertatem status naturalis idem retineat, & mortalium nemini devinctus agat, de munere illo divinitus concesso tamen sibi cum *PYRRHO* magnanimo *Epirotarum* rege gratulari nullus potest, quod maximum rerum humanarum bonum: *alio imperandi*, suis ærvis, suove arbitrato amplius dispenlet. Quamobrem ad ejusmodi principem, qui de provincia & jure supremo isto decessit, quamcunque demum pompam & ostentationem majestatis foris adhuc præterat, non male quis *Sueticum* argute dictum illud accommodaverit: *Rouung utan macht / Ar som er lampa utan olla*. Etenim præter enim regium assuetumque imperio nomen, negotiorum reipublicæ momenta maxima, *pristinum in modum*, ad suum arbitrium tra-

here

here neutiqvam potest. Igitur cum tituli & honores, qui principi privato habentur, ex mera civitate plerumque proficiunt, quid de persona & specie illa magis, quam vi & virtute potestatis sit habendum, quisque non difficulter judicare poterit.

§. III.

**O**vo tempore imitamenta cultus divini, citra devotos animi motus, laicos inter atque Clericos obtinere, hique ad ignavum otium suum, ventrisque curam omnia negotia civilia revocare, supremam & censoriam sibi non in ecclesiasticam omnem modo, sed & civitatum rempublicam asseruisse pontificem romanum, nostrum nemini ignotum esse potest. Non adjuutores se solum pontificibus fore ad regalia S. PETRI vindicanda jurasse reges & imperatores, sed ad placitum & ordinationem eorum, omnia in regno facturos, jure jurando quoque obstrinxisse; imo pro arbitrio horum, proscriptiones, censuras, & animadversiones nullas non jocularis sustinuisse, palam constat. De republica verò ejusque majestate, ita, non dicam comparata, sed verius profanata quis non *SENECÆ* istud, quamvis pie idem & alio sensu plane, juste applicuerit: *Omne regnum sub alio graviore regno est?* Ubi ad illam humilitatem depressa fuit sanctitas, *κέρως* & apex ipse imperii, quemcunque fucum & mimum præferat, quæ oculis se ingerit phantasia, ibi abs signato signum, a virtute & veritate rem ipsam quam longissime abesse tamen, qui subæratum aurum a sincero & solido discernere novit, nemo dubitaverit.

§. IV.



**A**D robur & firmamentum principatus incredibile quantum! concordia & amor *civium* confert. Utramque in regno sartam tectamque, qui regno præest, non difficulter præstabit, si ambiguitate fortunæ jactatis iisdem fas fuerit regem ipsum, ceu salutarem genium convenire. Quod si verò sua li. ignavia l. aliena fraude eo se adduci patiatur, ut ex aliorum magis quam suo ore cives pendeant, sacra regni impuro contactu *ministerorum dominantium* (b) foederi temerarique permittat; quid mirum, si cum contemptu omnis reverentia imperii, eorum, quorum interest, animis exoleseat, & vulgi sermonibus occasio detur cavillandi Regis sui, quasi non suis moribus, sed per *alienam materiam*, ut cum *TACITO* loquar, *formam & virtutem imperii omnem exprimat & excerceat*. Principem sua solius scientia non

Omnia

(b) Ex eo personarum principum numero olim *CLAUDIUS* imperator romanus erat, quem *dominum dominus* & libertus ejus *NARCISSUS* quocunque vellet trahere & torquere, morantemq; virga prope in suos animi motus compellere potuit. *Anglia* regem *CAROLUM I.* cum clericorum primicerii sui consiliis inconsultis majorem penes se locum, quam par esset, relinqueret, sibilis civium suorum exceptum fuisse, nobilissimum aulae *A.* episcopalis ministrum (Chevalier des Ordes d' archeveque) nuncupatum, & pro æquali imperatoris *Constantinopoleos ANDRONICI*, cui ceu eqvo *ATHANASIUS* patriarcha insideret, habitum fuisse, historia illius avi sciens prudensque nemo ignorat. Quæ infinito numero prostant alia *despotikyriorum* exempla, nunc non moveo.

8  
omnia complecti posse, fallique præsumptione sui ni-  
miã omnes illos, qui remigio suo solo ubiq; navigare  
volunt, non nego. Neque tacent historiæ *Byzantinæ*  
scriptores calamitatem, in quam rempublicam su-  
am conjecit *JUSTINIANUS*, cum αὐτοκράτωρ. ex suo  
arbitratu omnia gereret. Contra verò, ubi, qui  
summæ rei domi bellique præest, ceu mobile li-  
gnum trahi sese patitur nervis alienis, puta mini-  
strorum subdelegatorum suorum, idque eorum sæ-  
pe, qui artem, quam præferunt & profiteri volunt,  
nunquam ante tractaverint, ibi non posse non omnia  
male administrari; per imperitiam, invidiam &  
malevolentiam, instrumenta bene gerendæ rei inu-  
biliter perverti disturbarique, neq; nisi orbem poten-  
tia *nomen* in illo imperio relinqui, veritas est olim  
& hodie, quam vellemus, plus satis perspecta, atque  
observata.

### §. V.

**C**lerici verò prout monarchiam ac regimen olim  
summa occupavere injustitia; ita principes &  
rectores civitatum alio atque alio tempore suam  
postliminio imperii majestatem quoque recupera-  
runt, factisque sensim & sine sensu progressionibus  
etiamnum hodie folio sedique suæ, quæ sua sunt,  
asserere non intermittunt. (c) Urget Papa quidem  
pro

(c) Ab onere tributi conferendi penitus olim exemptos  
fuisse clericos ignorare nemo potest. In illis terris ubi  
catholica religio etiamnum valet, privilegium idem ho-  
die neque per omnia sibi extorqueri passi sunt. In *Gal-  
lia* vero, cum sine collatione onerum atque virium e. cle-



pro stabiliendo ordinis & ecclesiæ jure intermina-  
bili suo, immemorabilem præscriptionem, quam nul-  
li de ecclesia nomini, nedum *nativis* ejus turbare  
fas sit: sed cum rerum vitiosarum inutilem & in-  
efficacem esse scirent Reges omnem *præscriptionem*, res  
sui juris atq; dominii, publici retractus titulo iustissi-  
mo, sibi quoque vindicasse, juris publici doctores,  
qui celo sologve distinctissima non miscere volunt,  
consentiant universi. Interim in illis civitatibus,  
ubi paulo ante discussæ fuerunt tenebræ religionis  
istæ, data quavis occasione carceres, quibus cir-  
cumscripta fuit vetus potestas & vis clericorum, præ-  
sertim in Anglia, perrumpere, sed irrito conatu le-  
statos esse glebæ pontificiæ adscriptos, plus satis  
notum est. Postea verò quam in ecclesiis prote-  
stantium clerici ipsi sibi quoque saniora edoceri pas-  
si sunt, gregem nempe Domini pasci magis quam  
regi debere, & si quis in ecclesia regiminis locus

B

esse

siastici status, respublica non sustineri posse videtur, ne  
quem majestati civili temere locum dent sui cum seve-  
ritate juris exequendi; non debiti aut tributi, sed *do-*  
*variis gratuiti* titulo venire volunt Sacri Ord: Viri quam-  
cunque suam publico præstitam erogationem pecuniariam.  
Imaginario honore nominis isto, si non vim, saltem  
umbram & memoriam pristini juris sui tueri ambiunt.  
Quam vero longissime discrepet ab illa spe atque specie,  
sensus ipse Regis atque regni, per vim metumque non  
in illo solum, sed & aliis regnis gesta plurima docent &  
cum actis publicis consentiunt.

esse queat, armis *spiritualibus* potius quam *carnalibus* sacerdotii partem eandem expediri & ad effectum deduci debere: Inde in illis coetibus etiam, quamvis tituli splendorem eundem, quem olim, hodiernum aliis atque aliis locis retineant, quibus sacerdotii summa inspectio concedita est; tamen cum imperio summo visitationes suas, cujus modi Upsalienfis præsul *ABRAHAMUS AND: ANGERMANNUS* in *Suehia* tentavit, (d) nullo modo instituere posse, verum regiminis ecclesiastici sui normam penitus omnem a Principibus petendam habere, qui de liturgiis reformatæ religionis atque ecclesiæ quidquam audiverit, ignorare nullus potest. Dixi Reges hodiernos pontificiæ sectæ atque religionis ubique gentium lapidem movere, ut servitutis ecclesiasticæ jugum idem ipsi quoque excutiant. Regum *Gallie libertas ecclesiastica* inde a seculo celebrati concilii Basiliensis, prope in proverbium abiit. Callum eundem non infelici æmulatione præjudicioque hodierni *Hispaniæ & Neapoleos, Lotbaringie & Sardinie* reges presserunt, cum investituræ, annatarum & ceterarum regalium ecclesiasticarum jus, quamvis renitentibus sacræ sedis promachis purpuratis, eodem postliminii jure sibi quoque vindicarunt. novissime instituto eidem, quod

(d) Vid. b. m. archi Episcopi *H. Q. SPFGELS* historiam Eccles. *Svecanæ* part. II p. 155 item Tacit *Germ: Cap. VII.* ubi animadvertendi, verberandi & vincendi potestatem, sibi apud majores ethnicos quoque permisisse sacerdotes videbis. Adde sis *BENZELII* Coll. *H. s. Mscr. Lib. 1. 2.*



21

quod mireris, neque repugnante ipso pontificis filio  
*obedientissimo*, quem obstinatione adversus Patrem ead-  
 dem, qua ceteri filii, nuperrime insurrexissent, tabula  
 rerum novellarum hujus anni testantur. Consilium  
 deplumandi auricomum & perinde cristatum genus  
 harpyiarum illud, ceteros reges, in suo regno  
 quemlibet coquere non dubito. (e). Quem si  
 si penes illos ausum neque destituit fortuna, hie-  
 rarchiam Romanam non ipsam modo, sed & effi-  
 giem & pompam & inanitatem omnem illius, i-  
 ctu & fragore eodem, idque subito, in casum da-  
 tum iri, si non nosmet, posterius certe non longè  
 videbunt. Certe oraculo minime inepto, quamvis  
 flexiloquo Jesuita *Parisiensis Babylonis* ruinæ isti non

B 2

sine

(e) in *Moschonia*, quamvis non alio quam despotico jure  
 regantur ecclesiæ Græcæ cives, eadem quæ apud Romanos,  
 consuetudine præcæ, supremum penes *Patriarcham* tamen  
 sacrorum regimen fuisse eidemque in ecclesiasticis nemi-  
 nem contradicere ausum fuisse, notum est. Nostri se-  
 culi *magni duces & imperatores*, de barbara superstitione  
 illa aliunde convicti, præcipue vero *PETRUS I.* non  
 penitus solum abrogavit collateralem potestatem illam,  
 sibi quæ soli transcripsit: non absolutum modo de capitibus  
 religionis decernendi arbitrium sibi sumpsit, sed & pec-  
 unias & milites ex monasteriis colligendi conscribendique  
 imperium soli sibi vindicavit. *Synodi* sine titulo rituum  
 ad exemplar antiquitatis retinere permisit ordini sacro  
 suo. Vis & vigor, verbo: anima S. imperii, convulsæ & pro-  
 pe tunc structæ corporis compage veteri, ad justum domi-  
 um, de venerat, auspiciatò rediit.

sine sale praelusit, cum super arborē frondoso vertice opacam, sed improba manu excisam, cujus sub umbra ociari jam ante soliti fuerant patres seminarii, in sequentem modum caneret:

*Tot patribus dilectam olim, quæ præbuit umbram.  
 Quæ SIRMONDE Tibi, quæ SALIANE tibi;  
 Heu! nimium ingratis inuisa nepotibus arbor  
 Icta gemit ferro, tractaque fune cadit.  
 Vestram secla fidem? O mores! O tempora! quantum  
 Descimus. PATRIUM ne manet umbra quidem.*

### §. VI

**S**imulati imperii familiare exemplum, quod non minus illud themati nostro illustrando appositè serviat, neque dissimulare juvabit. Quamdiu pontificio jure vigerent *academias*, quæ ad easdem pertinerent, res, opes, & denique personæ naturam & qualitatem, quam sacri ordinis homines ceteri, eandem omnino habuerunt. Scilicet cum non alii, quam clerici, rei literariæ præfiderent, inde tantum non omnibus privilegiis, quibus ceteri ordinis illius viri, gaudebant. non in omnibus solum exempti fuerunt a juris dictione ordinarii Prætoris, sed suum quoque *senatum* & *proprium iudicium* habuerunt. Imo cum constaret academia multis doctis & clarissimis viris, inde factum etiam, ut causæ forenses obscuræ & perplexæ disceptationis, magis eorum decisioni, quam laici prætoris iudicio aut arbitrio commit-



terentur (a). Quia, cum tanta esset eorum in republi-  
 ca existimatio, commodum inde quoque accidit,  
 ut in regno, aut partibus officii regii nihil fere es-  
 set, cujus non expressa effigies in academico  
 corpore se exereret atque usu veniret. Quam juris  
 specie, ex ratione status *papalis*, an verò civitatis,  
 principum & statuum conniventiam, purpuræ sceptri-  
 que gestamen pervenerit ad societatis hujus patres  
 atque antiquitates, nunc non inquiri. Id scio, quod  
 cum ante non multo civitatum rectores recta viâ se-  
 cum reputare inciperent, *meritum* in regno regnum  
 hoc ipsum non parum derogare civilis majestatis  
 summæ, de diminutione hujus quoque *Ordinis* non  
 ociose laboraverint, & ut plurimis in posterum suis  
 ille neque inquietè lasciviret, pennarum remigium  
 omne prope sustulerint. Pristinæ dignitatis *umbram*  
 vix reliqui fecit temporum injuria. illam quam *scio-*  
*sam* missam (b) messemque cum ad obsonandum  
 parum proficere viderent patres de grege Pierio ho-  
 die non male *meriti*, picturam peregrinis plurimis  
 sce-

(a) Non sub pontificibus avi christiani illud primum  
 invaluit institutum. Ad sociabat sibi in imperio olim quo-  
 que OCTAVIUS AUGUSTUS juris publici privatiqve consul-  
 tos, quos fiduciam habere studiorum suorum non sim-  
 plici vice expertus fuerat. Illorum si fidem insuper in-  
 tegratamque probe perspexisset, domum eorum mox  
 ceu oraculum civitatis, adire consuevit, judicii forman-  
 di & ad statum publicum accommodandi causa. cfr. DILE-  
 TERICI O. AUGUSTI histor. p. 170.

(b) Videat *Hildebrand*, Sacra publ. V. eccl. pag. m. s.

scenam abdicari quoque, sensimque penes eosdem exolescere videmus.

§. VII.

**N**on nisi minutis ausibus ad illam molem vastitatemque, qua hodie eminent, orbis regna devenisse, neque nisi subditis & sub jugum missis civitatibus quibuscunque minoribus, saltem sine suprema juris dicendi potestate in iisdem imminutâ, neutiquam aspirare potuisse, omnis ævi locique historia locuples testis est. Ut autem qui *antibus atque civitatibus supremo jure modo præfuerunt*, & ad alienum imperium rudes essent, sub imperio domitorum non nimis difficulter manserunt, una cum nomine & insignibus pristinae potestatis, solutionem ab initio subjectionem iisdem domitores sui quoque permiserunt. Temporis progressu vero, cum potestatem illam quoque, licet *fiduciariam*, prætenso potestatis culmini suo, seu præsumtuosam, adspicere inciperent iidem *rerum domini*, nominis insigni solo relicto, unâ cum fortunis auspiciis imperii, qualecunque superesset, sensim retraxerunt, & in fortunam suam solius receperunt. In nostra gente, præter illa ecclesiasticae potestatis insignia, de quibus antea, *duces & principes* cum imperio nulli, nedum sine imperio hodie supersunt aliqui. In republica *Germania* insignia & jura principatus tantum non omnia diversis sub nominibus atque titulis, status ipsi dispensant (\*) de qua indole imperii in sequentibus plura dicuntur

(\*) Electores, scilicet, Duces, Landgravii, Marchgravii una cum ecclesiastici status primatibus & immediatis



dicturi sumus. In *Moschovia*, *Anglia* & quidem præcipuè *Gallia*, cum sub rege *LUDOVICO* suo, ante trecentos annos in statu laxiore pristino amplius se continere non posset dictorum modo principum libertas, in civium conditionem, duces, puta, marchiones & comites veteris stirpis atque progeniei omnes in univèrsum abiere: ita ut, qui titulorum insignia pristina sibi, majorum more, hodie quoque inscribi patiuntur, nullum, nisi ex unius principis imperio, per pagos atque vicos jus dicant, nullis, nisi ad ejus nutum militiæ pacisque negotiis præsent aut præficiantur; immo, si in rempublicam graviter deliquerint, communi cum ceteris civibus fato puniantur atque pereant. Certe *DOLGORUCKORUM* ducum in *Moschovia* tituli splendorem a civilis fati rigore & severitate illa, neque eximere potuisse viros gentis illius famigeratissimos, qui, quæ in illo regno gesta sunt nuperime vel per famam audiverit, ignorare nemo potest.

§. VIII.

**V**enerabile ab antiquo nomen *Legati* fuit, idemque omnibus gentibus sanctum & inviolabile. Sustinet intra civitatem princeps ipse regni decus, gloriosum populi nomen & civitatis suæ majestatem. Peregre verò, quia, quæ civitatis summa negotia fuerint, plenissimo (A) jure transigunt legati, præsertim nobilibus imperii, quorum in sua ditione quisque superioritatem territorialem exercet.

(A) Inde *Plenipotentiariorum* in senatu gentium receptum axioma.

tim primi ordinis illi (b): inde reipublicæ suæ velut imaginem *foris* gestare illos, & in peregrinis oris referre, inter omnes constat. Quin, sicut sine principe ejusque majestate salva, in salvo atque tuto civitas esse nequit: ita sine *Legato* salvo & incolumi, quies & honos & salus gentium, verbo: socialitatis vinculum neque lartum atq; integrum unquam conservari potest. Quidquid verò sit cum admissionis regali plane phantasia legati, inviolabilitate honoris atq; personæ, nec non privilegio exemptionis ab omni juris dictione, illius: nihilo minus tamen, quatenus ad exigui temporis usuram restricta est illa majestatis æmula, sed *dependens* dignitas, eademque, cum coactæ frontis scenam suam implevit Orator, in manus Principis & ex arbitrio illius iterum resignanda, quantum inter sceptrum & caduceum interfit, licet curatissimarum ceremoniarum religione involutum, nemo non vider.

## §. IX.

Fuerunt illa prioris generis *simulachra imperiorum*, temporum atque rerum momentis suis, ab illis imperii imitamentis, de quibus postmodum dicendum, procul distita atque disjuncta. *Illam* ex arte scenam plerumque subditi instruere atque publico vel privato nomine implere solent. Quæ *auspicia imperiorum* ipsa obumbrant & sæpe numero confun-

(b) Ambasciatores, Ambassadeurs, (a Gothico *Am-bacht, Umbat, Umbot*, qui alieno negotio obrundo præponitur) dicuntur, qui characterem representativum gerunt primi ordinis *Legati*.



fundunt *simulacra*, magis in speciem altitudinemque  
 reconditi sensus esse videntur. Aperit januam &  
 magnum iisdem in republica locum facit identidem  
*regum* impotens dominatio. scenæ mutandæ occa-  
 sionem dant sæpe *officiorum magistri*: dat ipsa de-  
 niqve *civitas*, cum non unum eundemque finem,  
 nempe regni salutem sibi propositam habent, sed  
 suæ ambitioni, utilitati atqve perveracitæ quilibet sta-  
 tus, aut civium singuli servire incipiunt. Ista quo-  
 modo se habeant & comparata esse possint omnia,  
 summam attingam, cum quæ nos undiqve percel-  
 lunt scæva atq; sæva patriæ tempora ocium lambendi  
 scetum huncce, pristinum in modum, hodie nullum  
 plane relinquat. Est autem primum de *tyrannide* no-  
 bis, & illius consequentiâ necessariâ agendum. Re-  
 gnum nil nisi servitutem esse, verè dixit, quicum-  
 que dixit. Oportet *Principem* suo servire *senatui*, cum  
 rectè consulenti eidem se submittit. Servire *omnibus*  
 debet, cum publicum bonum: servire etiam *singu-  
 lis*, cum cuique jus dicit & contra injurias defendit.  
 Ad illum modum si se in civitate gesserit, Dei ima-  
 ginem referet, a Deo accepisse auctoritatem, non  
 Numinis propiore curâ modo, sed & civitatis suæ  
 privilegio *inviolabilitatis* circumdari, jure suo merito-  
 que dicendus est. Quod si verò *Domini*, cui ser-  
 viant, & *auspicii*, a quo pendeant demeruerint,  
 quibus laxiores rerum habenæ conceditæ fuerint;  
 iidemque vitam atqve incolumitatem civium, libi-  
 dinis suæ cupiditatisque prædam efficere studuerint,

quid mirum *cives*, quibus conservatio vitæ bonorumq; tenerrimè demandata, destructio lascivâ verò, undecumq; venerit, cœca injusta, omni lege proscripta est, quid mirû, inq;â, obstinatione non intempestiva obsequium detrectare, & proprietatem regni ad ipsos pertinentem, ad pactum conventum iterato revocare? Habebit res illa nihil monstri aut portentii simile, si quæ *regni jura* ad bene beateq; vivendum maximi momenti esse viderint, eadem in posterum sui arbitrii destinationisque, ex parte aut ex toto, esse velint; quæ ad usum necessitatis adeo non multum proficere videri poterint, ut puta devotionis insignia, purpuræ splendorem, aulæ ministeria, & quæ alia esse poterint summi imperii simulacra, eadem personæ illius moderationi subesse velint, quam supremo in civitate loco dignissimam judicaverint.

## §. X.

**A**dversus hanc sententiam, geminam mihi adversariam paratam non dubito, ab illis nimirum, qui a scholasticis dissentire, religioni sibi ducunt. Obiiciunt alii *immediatam* a Deo majestatis productionem (a), cui privilegio per pacta cum stabibus imperii initia

(a) Majestatis ab omni humano coctu constitutioneq; independentiam arguere multi volunt *axioma* illud, quod *DEI GRATIA reges regnare dicuntur*, de qua formula illud habendum tamen, quod ut nummi, mutatis rerum variarum ideis, plus minusque valoris atque significatus nanciscatur. Ab initio testandæ humilitatis & devotionis sine ad imitationem *Pauli* adhibita fuit, de se fatens



mita, principum nemini renunciare: imò cui, injuria manifestæ licet, lævitiaque nomine, imperii statibus neque quidquam detrahere licitum sit. Crepant alii nil nisi morbidum & monstruosum in illa republica, in qua forma id est, anima imperii a se ipsa divellitur, & majestatis subjecto pristino non plus potestatis relinquatur, quam sociorum inæqualium capiti cuicunque. Sed qui conscientia nullo modo errante pridem convicti sumus, non *universalem causam* in imperio magis, quam matrimonio ex-

## C 2

clu-

tis, quod *omnia a Deo haberet*. Atque in illum modum adhibitam phrasin, independenti potentia exprimentæ alicui, neutiquam intersisse, quisque videt. Inde ex indulgentia Cleri papalis sensum politicum inducere, & principum, qui cum imperio essent, titulis annexi coepit, sive ecclesiastici sive laici ordinis essent, factumque, ut minorum gentium Comites, Burggravi, aliique [ ne quid de duce Veneto dicam auspiciam alieni imperii sequente penitus ] quicunque jure proprio ditionibus suis præssent, etiam licet fiduciario jure graviore regno alieno substarent, in signum territorialis sui quoque regiminis usurpaverint. Nobis, quod ad præsens negotium, dixisse sufficet, phrasin istam, quamvis gratiam, divinitatis imagine & caractere fecundam denotare queat, non tamen tantam imperii libertatem involvere, ut in nullis plane imperii actibus eosdem turbare, nemini mortalium licitum censeri possit, quemadmodum neque dubitaverit quisquam, quin principum alii, qui titulo isto abstinant, jura majestatica qualibet nihilominus retineant, eademque suo arbitrio & independenti jure, pro indole imperii, exercere queant.

cludere *propinquioris* & *secunde* influxum, neque pontificis flaminio ad illum, quem quærimus effectum opus esse: quin, statum imperii omnem, quacunque formâ, regulari an verò irregulari, publicam salutem promoveat, & vias subjugandæ patriæ libertatis præcludat, nihil monstrofi, violenti aut per vim extorti involvere, stratagemata & oracula ista, quibus se culmini rerum civilium reges & pontifices, olim magis quam hodie inseruere, non amplius moramur.

§. XI.

NEque est ut super problemate dato hoc ipso, provocemus ad antiquitatis magnum & venerabile tribunal Adumbrati & assimilati imperii specimen an alibi conspicuum magis, quam in republica *VENETA* hodie quoque offendere liceat, admodum dubito. Non spectare reipublicæ illius patres civesque rem aliam magis, quam quietem & libertatem; illiusque obtinendi finis intuitu, vel præcipue invigilare constat, ne ad tantam potentiam quis evehatur, ut tyrannidem invadere, aut civitatem opprimere possit, sed omnes mirabili justitiæ æqualitate concordēs inter se vivant. *Regularem* imperii formam, eandemque regii æmulam & analogam primum, mox *popularem* in rempublicam suam invexerunt. Sed cum in illa principes & duces imperii, majestatem in sui solius ambitum & subditorum perniciem abuti inciperent; in hac autem effusa plebis multitudo per demagogos seducta, imperium ad su-



am libidinem tractare inciperet, curâ salutis publicæ insuper habirâ, novum idemque ex formis regularibus mixtum temperatumque regimen in civitatem, *patrum* prudentia invexit. Plebem, ut a curiosa status indagazione seducerent, ludorum munera, ceu of-  
 fam in os, crebro objiciunt, idque ad mentem Mæ-  
 cenatis, qui Romæ plebem, sub ipsis incunabulis im-  
 perii, ad eundem modum occupari voluit. Quia, ne  
 disciplina arcani ista intempestivè proderetur, ipsi-  
 que locum darent plebeculæ, sub prætextu nullius  
 penes se existentis auspicii regii, rempublicam tur-  
 bandi, quemadmodum in Israël aliisque locis illud  
 sæpiuscule accidisse novimus, *Principem*, summum  
 reipublicæ magistratum constituerunt, qui quantum  
 ad habitum, pompam, habitationem & alia, patriæ  
 majestatem repræsentaret. Sed de quo non incom-  
 mode dixerimus, quod dux sit sine populo, prin-  
 cept sine imperio, audus majestate verâ & nomine  
 majestatis solo magnifice vestitus; quem apparere &  
 videri, quam esse talem, cives sui, qui acute magis  
 vident, non præter rem avent atq; concupiscunt. *Omnes illum*, ut loquitur *ARNISÆLIS*, nudo prætereunt capi-  
 te, stantes sedenti obloquuntur, sublimi throno conspicuum ex  
 humilioribus suspiciunt; interim si vel minimum a præscripta  
 sibi formula declinaverit, non tantum pro imperio ad edendam  
 rationem citabunt, sed & reum perduellionis, ex lege &  
 formula solemnî condemnabunt. Quid? quod ad  
 illa simulationum involucra, quibus quasi velis, ob-  
 tenditur potestas illius, non incommode quis retu-  
 lerit

lerit, quod omnis, qui ad senatum literas mittere vult, easdem ad *duces* destinabit; epistolæ & mandata publico nomine consignata, *illius* sub nomine auspicioque omnia prodibunt. Quæ verò ejus sub sigillo nominis signantur & obsignantur, ab *speciem* magis quam rei veritatem talia sunt. *Neque enim aliquæ foras a Duce mitti possunt literæ, nisi a quatuor Consiliariis subscriptæ, quæ inter secreta reipublicæ, in testimonium seponuntur, dum quæ solius Ducis nomen præferunt, foras prodeant* (a) Et ut verbo dicam; majestate quidem regia gaudet, ut ut re ipsa ei auctoritas tantum sit civis, & in omnibus consiliis, si ceteri dissentiant, nihil reliqui habeat præter gloriam consentiendi, sicq; imaginem tantum & umbram imperii repræsentet. In *GENUENSI* republicâ non multo diversa reipublicæ administratio obtinet. In *BELGIO* fœderato verò, quæ ambitu potentæ proprio prope ducentorum annorum, continetur res publica, postquam pace Monasteriensis, ab imperio Germanico & Hispanico demum manumissa fuit, suum militiæ & reipublicæ ducem ab initio habuit. In sacramentum fœderatæ gentis eundem adegerunt status imperii generales. Sed cum dignitatem istam ad insidias libertatis invigilare, & ultra terminos præscriptos evagari velle animadverterent, de eadem abroganda penitus, *suppressionis edictum* promulgari fecerunt. Cumque omni absque schemate majestatis isto, reipublicam æque prudenter & bene administrari posse viderent ordines, in præsentem usque diem consilia ad re-



tractum principatus spectantia, remoris impedita variis atque elusa fuerunt (b).

§. XII.

**H**omines disceptationibus scholasticis innutritos, cum in honorem principum suorum, controversias in simpulo plurimas movere solent, sæpius aberrare, neque gratiam, quam captant, perpetuo consequi, tralatitium est. Qui regalia insignia Romani imperii, & cetera dignitatis augustalis ornamenta, quemadmodum *imperii majestatis*, ita quoque *potestatis imperatoriae* signa habent, ut illi solidis, quæ in illius reipublicæ statum quadrant, juris publici universalis principiis non rectè imbuti sunt. Certe quod inter *summitatem* majestatis ejusque *plenitudinem* discrimen intercedit, qui stilo curiæ & quæ in illo sæpe occurrunt, schematibus minus adfveti fuerint, non rectè percipiunt. Imperium *Germanicum*, quatenus *monarchicum* audit, præcellentiam præ ceteris orbis imperiis hodie, quam olim, eandem habere: imò auctoritatem & auspiciam in civitate idem, quod ante plura secula, exercere, multi sunt, qui statuunt. Sed quatenus nunc nil nisi systema diversarum rerumpublicarum monarchicæ temperatum, & subjectionis usque adeo liberæ nexu compaginatum sit, ut in omnibus non junctura neque administratio eadem valeat, illud, obsecro! quis civitatem dixerit, in qua, nullo impediante, monente aut præscribente, leges ac legalia statuta suo pte  
nuru

(b) Gundlings Europ. Staten Tom. I Cap. V. S. 23.

natu arbitrioque Cæsar applicare possit. *Capitulationis* formulâ , per modum contractus, noviter electo principi præscribunt ordines, quid in administrando imperio ipsi sit faciendum, quid omittendum: eamque legis reglæ illius naturam & efficaciam esse novimus, ut si eandem migrare sustineat Imperator, & præter pacta conventa civibus quidquam injungere præsumat. obsequium impune detrectare possint. Ita verò affectâ Germaniæ indole atque natura imperii, quis Cæsaris potestatem in exercitio nullis limitibus terminari dixerit? Cæsarem imperio majorem esse, pseudopoliticorum nonnullorum judicium est. Quæ si sensu grammatico usurpatur phrasis, pro eo quod magis præcellit, & quo sub gnorismate ostentui dato, latet ipsa imperii majestas, non nego Imperatorem esse majorem imperio: sed cum sit illa species, nil nisi inane jubendi privilegium, pro uti *Jovius* accipit, integram & liberam potestatem Cæsar nullam habeat; phantasiâ omnem, quæ in oculos incurrit, simulacrum majoris potestatis potius, quam ex solido & vero constantem esse, Cæsar ipse non difficulter, neque ægrè alius quisquam, pro verò agnoverit. Plura expirantis *monarchicæ dominationis* exempla, & quæ ab illius rogo passim semet manifestare solent, *umbrarum simulacra* adducere, nostrum non fert institutum. De hodiernâ *POLONICI* majestate regni, quam olim, multo contractiore, testimonio reginæ gentis illius *CHRISTINÆ* id saltem adjiciendum, quod *monarchicæ auctoritas* inibi plane *umbratilis* sit.



**D**E *simulacris imperii* primi generis egimus, quib<sup>9</sup> ob vitia, statum imperii *monarchicum* invertentia atq; pervertentia, *ordines civitatis* majora regni auspicia ad se trahere, eademqve *personae* principem agenti usque eo detrahere solent, ut ex pristina majestate non nisi umbram, & ut dici solet, *solemnem sanctitatem* retineat. Venit sub signa vocandum alterum, neqve e medio sumtum artificium politicum, quo *principes* suum imperii mimum magis ingeniose transigere solent, & in sananda gangræna discordiarum civilium, solertiam peritissimorum medicorum non infeliciter æmulari. Neqve enim omnis a *capite* morbus ad membra diffunditur. Cum quæ in *corpore* homogeneæ partes reliquæ fuerint, doloribus opprimuntur, *salus*, sive publica, sive privata fuerit, certe non minus periculose agit. puta, cum civium invicem odia gliscere; pro sui oris oraculo, etiam qui de republica suspendere deberent iudicium suum, decertare quilibet; omnia ad se & in suas partes trahere, aliisque detrahere incipiunt; neqve alio magis sine, quam hoc ipso, se cum aliis suæ sectæ miscant, & in omnia, quæ *Hannibal* neqve pejora optaverit, conspirant. In nulla non forma reipublicæ, ex *vitiis hominum*, eorumque libidine; præcipue vero avaritia, & ambitione; imo non raro quoque ex *vitiis status* ipsius, interna nempe constitutione reipublicæ, ubi contra defectus illius non bene munita porta fuerit, ejusmodi morbi pedetentim

irropere solent. de quibus, cum ad ferendam pacem  
 cives inidoneos reddunt, quin immutandæ in impe-  
 rio, faciei, necessitatem crebro adferant, nemo du-  
 bitabit. Interim cum discordiæ in nulla non republi-  
 cã idem sensus esse soleat, ut omnia misceri velit  
 & in statuendo libertatis modo non pacatior esse  
 siveit *status popularis*, quam qui armis & gentilibus  
 clarent *nobiles & patritii* cives; quæ ad restituendam  
 retro sublapsam sanitatem patriæ, novum genus dra-  
 matis; quam a priore, diversam scenam aperire soleant  
 viri ad summarum rerum effectiorem divinitus de-  
 stinati, paucis delibandum. Quemadmodum vitia  
 virtutum nomina multa induere: auferre, trucidare  
 atque rapere, *imperium* dici; tactaque passim & ubique  
 solitudo, *pacis* specie se non raro venditare solet: Ita  
 cum plebem obscuram & humilem, *titulum* magis ser-  
 vitoris, quam *ipsam rem* exhorrescere illi vident, ne ci-  
 vium animi in molimina sua temere exacerbentur,  
 non insignia regis majestatis cum ipso nomine mo-  
 do omittunt: non liberæ electionis schema, magi-  
 stratum pristina nomina, sed omnem veteris status  
 opinionem oculis & animis populi objicere solent.  
 Nempe ut veterum memoria institutorum conser-  
 vetur, præcipue vero, ne prioris status licentiam  
 penitus amisisse videantur cives, speciosissimo invo-  
 lucro isto, ceu absinthio amaritudinem omnem,  
 abstergunt, quam pereuntis simul & semel libertatis  
 memoria alias excitare potuisset.



## §. XIV.

**T**itulos in illum modū morientis *libera dominationis*, an alia magis, quam vetus *respublica ROMANA* ostentare queat, admodum dubito; & si aliunde quoque advocari possent, consulto tamen iisdem abstineo, cum culpam, quam intus sustinent, publice sibi imputari, neque sine invidia *privati* pati possint. In republica vero modo nominata, cum inde a constitutis tribunis, nullus ordinum consensus esset; nobiles & plebei cives secessionibus nullis non omnia turbarent, nisi quatenus externus metus internas discordias premeret; nullum domi ocium, nedum hostes triumphati quietem *reipublicæ* aliquam præstare possent: tum *principatus* aliam formam invehi cœpisse, & post longinquum excidium, sub tutela Imperatorum *JULII, OCTAVII* ceterorumque demum, civitatem Romanam acqvievisse novimus. *ILLI*, erectiores populi animos tractare non ignari, ad declinandam recentis imperii invidiam. *regis & domini* appellationem, ceu contumeliosam exhorruere penit<sup>9</sup>. Magistratum, & quidem præsertim *tribunitiæ* potestatis populare nomen retinuerūt, quamvis integri & prisca moris, si vim imperii spectes, principes isti nil reliqui fecerint. Quin, palpo, ad plagas, isto, populum magis deduxerunt, atque exuta æqualitate civili pristina, sua modo iussa ad unum omnes respicere, devenerarique coëgerunt. Sic cum non procul videret *OCTAVIUS* se imperium facillime retenturum, si donis & pecunia amorem

& obsequium militum sibi conciliaret, iisdemque in suas pellectis partibus, nihil intus forisve sibi timendum esse, illud dominationis arcanum in suam fortunam trahere nullus intermisit. Omnibus vero donis & pecunia sibi devinctis, vim imperii ad se transtulit, potestatis imaginem & speciem Senatui permittit, populo autem speciem comitiarum reliquit: unde Dio: *Habebantur adhuc comitia populi, licet nihil ageretur in iis, quod AUGUSTO displicisset (a)*. Sed larvarum hoc penurarium, qui potest totum a nobis angustis adeo limitibus comprehendere? Paucis itaque complectemur artes, quibus TIBERIUS rempublicam aggressus est. Vim principatus sibi firmans ille, imaginem antiquitatis senatui quoque præbuit. Cuncta per consules incipiebat, ut sic simulacrum veteris obiceret reipublicæ. Rogatus a senatu rempublicam ut acciperet, diu cunctatus dissimulatione, tandem respondit: se forte partem reipublicæ suscepturum, & id quidem, ut loquitur TACITUS: *non ut fateretur suscipi a se imperium, sed ut negari desineret (b)*. Noluit videri TIBERIUS artibus occupasse rempublicam, sed omnium voto expetitus & quasi coactus eam capessivisse. Confirmata autem ac munita potestate, in omne genus crudelitatis erupit. Uterius vero hac de re ut & de sequentibus *Cesaribus* agere, temporis & fortunæ nimis curta suspelles non finit, neque adeo est e re, cum jam post AUGUSTUM penitus in ser-

(a) Dio 53. p. 505.

(b) Tacitus l. 7.



virtutem ivere Romani, dum civibus ius suffragiorum  
ademptum, patribus auctoritas minuta, illique vere rogata  
mancipia evaserunt ad nutum & libidinem Principum se to-  
tos componentes (c)

(c) *Cyriae*. Lentulus in August. p: 144.

§. XV.

**A**B exemplis, quæ sunt nostri seculi, saltem quæ  
propiora eidem videri poterint, temperatu-  
rum memet, promisi modo. ne tamen de nostra  
hac ætate quis præjudicet, quod in illa, veteris *Romæ*,  
ejusque Cæsarum personam hodie nemo ex arte susti-  
nere queat, *Britannia* sine exemplo *PRINCIPIS Politici*  
exemplum tetigisse juvabit, quem constat scema-  
te non alio, quam *TIBERIUS*, dissimulationem ador-  
nasse suam, falsam fucatamque speciem pro veris bonis,  
obtrusisse civibus suis. Cum rempublicam, quam  
ipse turbaverat, in ordinem redigere, suamque inibi  
crudam dominationem instaurare in animo habe-  
ret, an non regia insignia, una cum ipso nomine  
sibi a civibus oblata rejecit, & blando apud vulgus  
vocabulo, *libertatis custodem conservatoremque*, sese venditavit;  
ut ut scripto aut voce *libera* (a) adversus ipsum obmuti-  
re, capital fuerit? interim supremam justitiæ curiam,  
consilium status, & quæ cetera olim instituta fuere  
*magisteria* omnia retinuit, sed nomina saltem. Ad  
illudendum obelæ naris plebem, ferias solemnes in-  
stituit, quibus de strata extirpataque tyrannide *DEO*  
gratias egit; omnibus, qui emunctoriis judicii essent,  
ore

re unanimi, quamvis non semper voce asseverare ausis, quod gravioris tyrannidis non nisi mitiora nomina irreplerint, & qui *prosectoris* speciem præterret, ille idem populi supplantator esset perniciosissimus. In summa: specie & delinimento nominis isto, servitute pro libertate invexit. Id quod civium liberâ voce arcanum tum maxime evulgatum fuit, cum mortuum *CROMVELLIUM* in furcas gemonias rapi non magis ægrè hæc gens videret, quam in unicum & gemonias, aut saltem in Tiberim, suum trahendum *TIBERIUM* Romani cives olim conclamare universi.

De cetero, pietas, quæ *REGI & PATRIÆ* obstringimur, nos pro salute eorum, in quibus omnium nostrorum vertitur salus, ad cælum palmas tendere & suspiria emittere jubet calidissima. *Serva O DEUS!* Patrem patriæ dulcissimum ac *Regem* nostrum clementissimum! Protege clypeo fortitudinis tuæ exercitum nostrum inter sævos furentis Bellonæ fragores, insulcusque hostiles iniquissimos terra marique retunde, & in cassum abire jube. Et sicuti pacis nomine nihil est dulcius, nil jucundius, ita felicissimum belli gravissimi largire exitum, quo omnes & singuli in afflictâ patria sub sicubus nostris secure vivamus, laudes & nomen tuum sanctissimum decantare, colere, venerarique possimus, in secula nunquam intermittenda!!!

(\*) *Tiberis* notum est effatum, quo convicia sibi dicta aut scripta excepit: *In civitate libera linguam mentemque liberam esse debere, cfr. Sueton. III. 28.*

**SOLI DEO GLORIA.**



## Prooemium.

- §. I. Simulacrum esse penes reges personatos, assertio.  
 §. Penes eos, qui abdicavere se imperio.  
 §. II. Penes reges, olim papismo durante.  
 §. IV. Penes reges, quibus sui sunt despotikyrii.  
 §. V. Penes Clericos hodie etiam pontificia seclae.  
 §. VI. Penes hujus aevi magistratum Academicum.  
 §. VII. Penes Marchiones, Duces & Comites titulares in aliis aequae aliis regnis.  
 §. VIII. Penes Legatos.  
 §. IX. Simulacra imperii Monarchici excusio.  
 §. X. Objectionibus, quae imperii dividendi omne institutum infringere videntur, occurrit.  
 §. XI. Penes ducem Venetum non esse majestatem ostendit.  
 §. XII. Neque penes Imperatorem Germania.  
 §. XIII. Civibus in republ. saepe, nil nisi simulacra libertatis & principibus relinquere solere, indicat.  
 §. XIV. Probatur exemplo Imperii Romani recens instituti.  
 §. XV. Et denique Britanniae nupta, sub Cromvellido.

## CORRIGENDA.

Pagina 8. lin. 19. lege *republicam*. Pagina. 5. lin. antepenult. ceu superfluum deleatur vocab. enim. Pagina. 8. lin. 13. & 14. lege *inutiliter*. Pagina. 11. quae ad finem notae (e) transposita sunt, in hunc modum restitue: Vis & vigor. verbo: anima S. imperii, convulsâ & prope destructâ corporis compage veteri, ad justum dominum unde venerat, auspiciato rediit. Pagina. 17. lin. 84. lege *relinquant*. Pagina. 24. lin. antepenult. lege *reginas*.

Ad AUCTOREM  
dissertationis hujus egregiæ.

**M**Oris uti antiqui, ita omnino laudabilis est, ut eruditionem suam speciminibus publicis cultores Musarum te flectur seduli. Efficit industria illa, ut in pertexam studiorum telam, quam exorsi sint, commilitones eorum magis strenuè etiam incumbant, alique, quibus publica salutis curae est, fiduciam concipere possint, fore, ut tales evadant, quales civitati olim gloriae fructuque esse possint. Praesens erudita satis dissertatio Tua, Amice suavissime, si quae alia, comprobat, te in eorum referendum esse numerum, quibus doctrina & patriae pietas curae cordique est. Nobilitas, difficultas & dignitas argumenti, in quo elaborando vires ingenii Tui experiri voluisti, applausum omnium meretur; tanto magis, quanto rarius esse solet illorum proveniens ingeniorum, qui rerum civilium nexus intraspicere, & quae ad simulationem inibi comparata occurrere solent, plurima, discernere operae pretium ducunt. Ego vero ingratus essem, meique prorsus immemor, si occasionem hanc optimam intermitterem, eximias ingenii dotes tuas, animi candorem, operamque in studiis strenuè collatam, laudandi. Verbis autem explere munus, cum nihil aliud esset, quam verecundiam oris & ingenii Tui, lenociniis implere, mearum partium erit, saltem studiorum progressiones felicissimas Tibi Tuisque parentibus ex animo gratulari, & vel ex hoc unguis indicio, de te praeclara quaevis conjicere, si vitam DEUS, vires emergendi, & quae coeptis respondeant, fortunae demum mitiores vices, largiri velit.

Tui longe amantissimus  
NICOLAUS TURDIN  
Aboënsis.